Boethius, Anicius Manlius Severinus ; Thomas <de Aquino> [Comm.]: [De consolatione philosophiae] Boetii viri celeberrimi de consolatione philosophie liber cum optimo commenti beati Thome: [Enth.:] Compendiosa Consolationis resumptio

[Straßburg: Johann Prüss], 3. Juni 1491 



# Prosa decima

putant esse alia bona preter sensibilia. ideo ne aliquis putet nullum esse perfectum bonum in rerum natura. philosophia primo antequam ostendat vbi sit situm perfectum bonum probat ipsum esse. ¶ Notandum quod res subiecta est de qua habetur sermo ⁊ cognitio. sed dum cogitamus de re que non est tunc est cogitatio cassa preter veritatem subiecte rei, decipiens nos. ne autem talis cognitio videatur esse summi boni. ideo primo probat ipsum esse in rerum natura.

solidam perfectamque non potest dubitari. B. Firmissime inquam verissimeque conclusum est. P. Quo vero inquit habitet. ita considera. deum rerum omnium principem bonum esse. communis humanorum conceptio probat animorum. Nam cum nihil deo melius excogitari queat id quo melius nihil est bonum esse quis dubitat. Ita vero bonum esse deum ratio demonstrat: vt perfectum quoque bonum in eo esse conuincat.

¶ Notandum quod imperfectum non potest esse principium rerum quia perfectum prius est imperfecto. principio autem non est aliquid prius ex quo sequitur quod vbi est imperfectum ibi est reperire perfectum. ¶ Notandum quod est deuenire ad aliquod perfectum a quo natura incipiens progreditur ad posteriora imperfecta cuiusmodi sunt hec inferiora que dicuntur extrema ⁊ effeta. quia sunt vltima causatorum non causa aliis inferioribus. ¶ Quo vero. Hic philosophia ostendit in quo perfectum bonum siue felicitas sit sita. secundo concludit quoddam correlarium. tertio mouet dubitationem. secunda ibi. Super hec. tertia ibi. At quod hoc quia. Primo dicit vel ostendit perfectam felicitatem esse in deo constitutam. secundo ostendit per quem modum sit in deo. ibi. Sed quomodo. primo ponit vnam propositionem notam. secundo ex ea probat intentum. ibi. Ita vero. Primo dicit. Iam probatum est quod est dare perfectum bonum quo vero id est in quo habitet illud perfectum bonum. ita considera. Et tunc subiungit propositionem Omnis conceptio communis humanorum animorum probat. i. concedit deum esse bonum principem omnium rerum ⁊ quod deus sit quoddam bonum. probat per hoc. quia deo nihil melius excogitari potest. ⁊ quis dubitat illud esse bonum quo melius nihil est. q. d. nullus. ¶ Notandum quod deum esse principem omnium rerum omnes concedunt. sed quia pictagorici posuerunt duo esse principia rerum vnum bonum. aliud malum. ne ergo aliquis occasione huius negaret deum esse bonum. ideo hoc probat ex eo quod nihil potest melius excogitari deo. vnde dicit beatus Aug. in li. de doctrina christiana. Omnes latine lingue scientes cum aures eorum sonus tetigerit quo profertur deus mouentur ad cogitandum excellentissimam quandam imortalem naturam. ita autem cogitatur deus vt aliquid quo nihil sit melius.

¶ Ita vero bonum esse deum ratio demonstrat. Hic probat intentum quod beatitudo siue perfectum bonum sit situm in deo tali ratione. Perfectum bonum est vera beatitudo. sed in deo est perfectum bonum. ergo in deo est vera beatitudo. vnde dicit in littera. Ra